





5

1706.  
46

ORDINIS JVRIDICI  
WITTENBERGENSIS  
DECANVS  
**CASPAR HENR.  
HORNIUS,**

JC. ET ANTECESSOR, ELECT. CVRIÆ, CON-  
SISTORII ECCLES. ET SCAB. NEC NON  
JUDICII PROVINC. IN LVSATIA INFERIORI  
ASSESSOR,

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.

*de tempore praescriptionis in causis civi-  
tatum secundum constitutionem Justiniani*

23.



105  
Ocietares illas, quas Romana Jurisprudentia civitates, municipia, interdum etiam republicas vocat, privatorum loco quidem habitas fuisse, varii loci veterum indicant J Ctorum: non desunt tamen etiam monumenta, ubi & publica eorum causa habetur, atque eximis plane, ac singularibus juribus ~~et~~ regi illae exornantur. Ut alia nunc raceam, commemorare libet saltem famosam illam Justiniani constitutionem, ad Julianum P. P. missam A. DXXIX. qua juri Civitatum id datum est, ut ad exemplum sacrosanctorum Ecclesiarum aliorum que venerabilium locorum nulla ipsis oblitus præscriptionis ratio, nisi quæ centum annorum curriculum sit emensa. Occasionem hujus legislationis ex Procopio, & Svida discimus. Placet audire priorem, ex quo procul dubio sua excerpit alter. Ita vero ille interprete Nicolao Alemanno: Priscus quidam apud Emesenos (in Phcenicia Libanis) fuit, aliena manus per quam ingeniose menienda peritus, ejusque fraudis plane idoneus artifex. Porro Emesenorum Ecclesiam annis ante non paucis heredem instituerat Mammianus vir clarissimus Patria dignitate, genere & dicituarum copia illustris. Justiniano postea Princeps, Priscus censum familiarium ejus urbis habet, quæcumque florarent opibus, ac ditissima præda esse possent; barum diligenter observat majores, quorum tabulas sibi conquerierat; eorumque nomine complices conficit libellis, quibus grandem pecuniam a Mammiano apud se depositam accepisse, eidemque debere se illi faterentur. Crediti vero in anibus illis libellis auri summa decem millia pondo colligebat. Denique publici tabellionis viri fide & virtute conspicui, qui superflite Mammiano civibus tabulas conficiebat, suaque manu consignabat, literas mirum in modum imitatus, sic eos libellos Emesenorum Ecclesie procuratoribus tradit; qui partem acquirenda pecunia, qua illum maneret, pollicerentur. Verum obstante lege, quæ reliquias omnes actiones ad tricenariam præscriptionem prolatat, & quas hypothecarias dicunt, nonnullasque alias quadrageneria excludit exceptione, id ineunte consiliti. Pergunt Byzantium ire, vim auri Caesaris deferunt, rogantque, ut sibi esse præsto velit ad tantam civium perniciem. Ille accepta pecunia mox legem scribit, ut actiones, qua Ecclesiis

*Sicis competenter, non statim temporis, sed centum annorum præscriptione  
excluderentur; idque non Emese duntaxat, sed in universo Romano  
Imperio perinde valeret. Actum mittit Longinum virum indutum &  
corpore strenuum, (qui postmodum egit urbis praefectum) jus illud Emes-  
senis dicturum, firmaturumque. Principio quidem ex considis illis li-  
bellis Emesenorum Ecclesiæ procurratores, cum in nonnullos cives cau-  
sam bis centum auri pondo tenuissent, eos illico condemnarunt; quibus  
ex tanta temporum distantia, atque nocte olim rerum gestarum, nulla  
defensio suppetteret. Quamobrem cum aliis, tum Emesenorum pri-  
mores in magno mœvre jacebant, succensabantque calumniatoribus.  
Sed cum iam pars maxima civium in id exitii veniret, rem ita  
Deus est moderatus. Prisco bujusc fraudis autori, ut ad se omnes  
libellos deferret, Longinus imperat, atque rem detrectanti magna  
impingit alapam vi; ille isti fortis dextera effictus supinus concidit,  
tremensque ac pavidus, remque odoratum Longinum ratus facietur  
fraudem; sic vero totius rei scena detecta, destitutum calumnias est.  
Hactenus Procopii evènientia, quibus ita loquitur, ut haud  
obscure innuere videatur, ipsum Justinianum fraudis con-  
sciūm fuisse, atque data opera ad civium perniciem hanc  
condisse legem. Quorsum etiam hæc ejus verba ac illis,  
qui iniqüiores sunt ævi Justiniani censores, trahi solent:  
quæ mitigare quodammodo conatus est Svidas, prout col-  
latio utriusque Scriptoris quemlibet docebit. Sed quicquid  
sit de malo Justiniani consilio, quem tum ab aliis, tum ab hac  
obtrectatione vindicat Johannis Eichelius, vir celeberrimus: a  
nemine tamen id negari potest, fraude Prisci & illorum,  
quos in partes suas traxit, impetratam esse hanc nostram  
constitutionem, nec turpi carere nota, quod auro dato &  
accepto, si quidem verum hoc est, Justinianus ad conden-  
dam hancce legem se passus est induci. Quibus iisdem frau-  
dibus etiam acceptum est ferendum, quod, licet alias leges  
negotiis saltem futuris normam præscribant, hæc tamen eo  
modo lata, ut de preteritis etiam, & jam in judicium dedu-  
ctis causis, Imperator secundum novam hanc nomothesiam,  
quod verba ultima ejus docent, jussit sententias ferri. Hæc  
enim si adjecta non fuisset clausula editi, parum, vel nihil  
id profuturum fuisset, quod tamen quam maxime cupie-  
bant calumniatores adversus eos prodisse sibi, qui in judi-  
cium vocati falsis illis cautionibus triginta, vel quadraginta*

102

annorum lapsum objiciebant. Namque, ut cœca est inter-  
dum improbitas & immemor, Priscus & falsarii ejus eos dies  
& annos expresserant, a quibus tantum jam effluxerat tem-  
pus, post quod jure agere non amplius licebat. Illud vero  
mireris, qua occasione, quove fato & civitatum quoque ra-  
tio fuerit habita in novella hac constitutione, Mihi, si sen-  
tentiam dicere licet, haud absimile vero videtur, eundem  
*Priscum Emesenum*, atque Ecclesiæ suæ procuratores, & illos,  
qui in aula causam eorum egerunt, artibus suis id effecisse.  
Nam cum perspicerent facile, hancce rem multum odii, ac  
invidiæ, non tantum apud cives Emesenos, sed etiam in aliis  
municipiis conciliare posse Ecclesiis, ac illorum defensori-  
bus ; consilium inierunt, ut civitatibus eodem novo jure li-  
ceret uti, atque sic & Ecclesia & respublica pari passu ambu-  
larent. Quam male vero haec res habuerit *Emesenos*, quanta  
damna ex ea ceperint, & quanto merore inde obruti, *Aen-  
dora Procopii* satis indicant, qui & idem tradit, qua ratione,  
Deo ita moderante, fraus *Prisci* improbi hominis opera  
*Longini* viri industrii drecta, ac calumniis obex positus fuit.  
Ipse etiam postea *Justinianus* censuit abrogandam esse hanc  
legem, vel temperandam saltem. Namque animadvertebat,  
per licentiam illius sanctionis negotia multa commota esse, & velut  
antiquorum vulnerum obduetas iterum patuisse cicatrices ; sed &  
eorum sanitatem provenire non potuisse probationum scilicet difficul-  
tibus impeditam : quoniam per tantum seculi magis, quam tem-  
poris spatium, nec documentis integritas, nec actis fides, nec actas  
valet testibus suffragari. Quamobrem antiquata sanctione  
constituit, ut venerabilibus Ecclesiis, Monasteriis, Xenodochiis &c.  
quadraginta annorum protelatio conseratur. Quæ præscriptio  
alia jam lege erat recepta. Ast cum in utraque de civitati-  
bus ne verbum quidem habeatur, inter interpres no-  
stros diu multumque disceptatum est : *Utrum beneficium cen-  
centenaria præscriptionis societatis illius salvum superstet, vel extin-  
etur?* Illud ex antiquioribus Glossatoribus plerique affir-  
mant, quorum sententiae ex *Cujacii* autoritate, si cui hic lo-  
cus est, magnum robur creditur accessisse. Namque hi, quod  
jam monui, urgent, nihil quoad civitates mutasse *Justinia-  
num*, sed legem novam de Ecclesiis aliisque piis locis conce-  
piam esse ; atque adeo jus de civitatibus latum antiqua sua vi-  
gaude.

gaudere : neque enim temere legem, quæ corrigit jus verus, ad speciem verbis non expressam trahendam esse; si maxime ratio, quæ commovit legislatorem ad emendandum jus antiquum, ad alios quoque casus, quorum diserte nulla facta mentio, quadrare videatur. Mithi adversa hisce sententia verior videtur, existimanti, *Justinianum*, dum novissime jus condidit, plus sensisse, quam expressisse verbis. Postquam enim beneficium secularis illius præscriptionis, quod primario Ecclesiis & piis locis indulsum, fuit, ac per modum accessionis saltem ad civitates quoque porrectum, prioribus ademit : quis credere vellet, illum civitatibus id relinquere voluisse ? Quin & omnia illa, quæ Principem eo adduxerunt, ut parum aequum existimaret, per totum seculum ab Ecclesiis, & piis causis homines & rerum possessores inquietos reddi, & dominia rerum, juraque in dubium vocari posse, quæ ex verbis novellæ legis supra recensuimus, efficiunt, ut certo nobis persuadere queamus, de *civitatibus* idem sensisse ipsum, nec opus esse existimasse, ut verbis id exprimatur. Nam & hic eodem modo, post tantum temporis spatium testes deficiunt, atque documentorum integritas, aut actorum fides, & sic defensionis ratio deesse, vel difficultas probationis suboriri potest, quibus opus ad elidendam intentionem rerumpublicarum. Tunc vero, quum eadem prorsus ratio, & præsertim expressa in legge, militar etiam pro casu, quem verba legislatoris silent, ad hunc quoque eam nomothesiam, quæ corrigit, porrigenam esse, argumentis idoneis ab aliis dudum est comprobatum, & vix negari poterit ab eo, qui recte mente novit uti, & principiis juris est imbus. Hoc posito, Ecclesiis pariter ac civitates privatae Cæsarem beneficio centenariæ præscriptionis, nova quæstio oritur : *Utrum scilicet Princeps intuitu quadragenarii temporis lapsus, quod Ecclesiis indulxit, bis ex aquaverit quoque civitates?* Qua parte iterum dissentire novimus Jctos nostros. Plerisque, superiorem quod attinet ad quæstionem, qui nobis stipulantur, ajentem sententiam sequi opinor, esse scilicet & civitatibus sine discriminine spatium quadraginta concessum annorum, intra quod res suas, & quod ipsis debetur, persequi liceret. Hujus vero rei nullum aliud argumentum video adduci, quam, quod ab exæquatione Ecclesiæ, atque civitatis semel atque iterum facta peti solet. Ut vero raseam, pericu-

10.

losum esse ex eo, quod semel una aliave res certa ratione ex-  
æquata alteri, atque eundem juris usum consecuta, pati se ad-  
duci, ut credamus semper id fieri, vel factum esse: verba Nov.  
CXI. id mihi svadere videntur, ut existimem Justinianum quoad  
civitates pristinum jus & commune reducere voluisse. Sic enim  
aït Imperator: *Et jubemus in negotiis, que antebac triginta anno-  
rum removebat exceptio, nunc venerabilibus Ecclesiis, Monasteriis,  
Xenodochiis &c. quadraginta annorum protelatio conferatur, salva  
scil. circa alias personas & causas virtute, quam semper tricennali sibi  
præscriptio vindicabat: quoniam banc decem annorum adhesionem so-  
lis, ut dictum est, religiosis locis, eorumque juri & contractibus indul-  
gemuſ. Et paulo post: In illis namque, ut dictum est, negotiis, reli-  
gioſos contractus memorato quadraginta annorum privilegio volumus  
perfriui, in quibus eis centum annorum prærogativam constitutio noſtra  
contulerat.* Sic solis religiosis locis Justinianus voluit indulgere  
privilegium XL. præscriptionis? Ergo id civitatibus datum non  
est. Quæ sententia Fuchineum inter alios habet autorem. Hanc  
ſi sequamur, illa disputatio circa civitates carere posſu-  
mus: num centenaria præscriptio solis quatuor casibus,  
quos L. XXII. C. de S. S. Eccles. complectitur; an vero & in  
alii locum reperiatur? qua de re Berlich, & alii Dd. soliciti  
ſunt. In noſtra vero Saxonia omnes hæ lites plane cefſant:  
quia tum antiquus uſus, tum D. Auguſti conſtitutio omne  
dubium tollit, atque certissimum jus ſuggerit, quo Saxoniam  
triginta annorum, anni & diei præscriptionem civitatibus  
obesse apertissime definitur. Sed nolo, nec opus eſt, his diu-  
tius immorari, quæ in gratiam Candidati Juris clarissimi Chriſtiani  
Jacobi Heili, qui de alio civitatum jure, ſed falſo illis afferro,  
diſſeret publice, hac rerum facie tumultuaria opera in char-  
tam a me ſunt coniecta. Meum nunc potius eſt, ut ex more ve-  
terea commemorem, quæ ad vitam ejus & iſtituta, ac lauda-  
biliter geſta pertinere videntur. Orrum vero debet hic Can-  
didatus Jeſſene, oppido Saxonie nobis vicino, quod a copia vi-  
ri, & frugum ac bonitate cerevisiae notiſſimum eſt. Natalis an-  
nus octogesimus ſecundus ſeculi superioris illi ſuit, cuius men-  
ſe Junio in lucem editus eſt, parentibus honestis, patre quidem  
prudentiſſimo viro, Chriſtiano Heilio, Decurione quondam in  
iſto municipio, cui & actorum cura atque custodia commis-  
ſa fuit; matre vero ornatiſſima foemina Magdalena Sybilla, viri  
ſpeſta-

specatissimi M. Jacobi Kornmanni, Reditum Electoralium Quæ-  
storis hic Wittebergæ filia, quam patre dudum vita defuncto  
superstitem habet. Aliquot per annos a præceptoribus, quos  
tum patria schola alit, tum parentum cura privatim selegit  
religionis Christianæ, & bonarum artium præceptis imbutus  
Wittebergam missus est, atque hujus urbis phronisterio  
conceditus, in quo sub amplissimo viro, & de juventute non  
tantum scholastica, sed etiam Academica per multos annos  
optime merito M. Johanne Peiskero, atque ejus collega claris-  
simo Winckelmanno egregie profecit. Abivit post illorum iussu  
& svasu, qui ejus res moderati sunt, Zittaviam, Lusatiae supe-  
rioris nobilissimam urbem, atque tum ob quam plurimas alias  
res, tum præsertim ob doctorum virorum copiam, & perce-  
lebre Gymnasium clarissimum, ac omnium ore decantatum.  
Invenit ibi studiorum Rectorem celeberrimum Weifum, ex cu-  
jus scholis tam multi exierunt, qui Ecclesiæ & Reipubl. ma-  
ximam nunc, & egregiam operam navant. Sub hoc duce, at-  
que disciplina clarissimi Con. Rectoris Erdmanni Miri, ea con-  
secutus est, quæ ad majora & Academica studia aptum, & ido-  
neum effecerunt. Biennio Zittaviae exacto Wittebergam re-  
diit, atque M. D.C.C. quum summe reverendus vir Johannes  
Baptista Röschelius, Theologus, & Philosophus celeberrimus  
Magistratum gereret, civitati Academicæ adscriptus, studia  
primum Philosophiæ, & earum rerum, quæ ad artem ju-  
ris viam sternunt, ea, qua decet, cura atque diligentia tracta-  
vit, & tum alios, tum nobilissimum Polyhistorem, Conradum  
Samuelum Schurtzfleischum, sedulo est secessatus. Suffcepit etiam  
publice disputationum exercitium, circa nobile thema de cha-  
ractere boni Consiliarii, quod Præs clarissimus M. Job. Frider.  
Arzbergerus suggestit. Tyrocinia in arte juris sub nobilissimo  
& consultissimo viro D. Johanne Caspare Brendelio posuit, at-  
que eum omnes partes juris evolventem diligentissime au-  
divit. Accessit postea pulpita Antecessorum hujus Academicæ  
præstantissimorum, atque tum B. Straussum, tum Magnif. Dn.  
Bergerum, Ordinis Præsides, & Consiliarios Regios & Elec-  
tores, tum excellentissimos viros D. Sv. vum, atque Wernherum,  
& me quoque discendi causa frequentissime adiit, ac ni-  
hil non eorum magna cum industria peregit, quibus eruditio  
& doctrina poterat incrementa capere, & augeri. Dum vero

ita

105

496

ita in cognitione juris versabatur, mature solicitus fuit, qua ratione id, quod alii docebant, ipse vero discebat, posset in usum deduci. Quam ob causam eas scholas, quibus Magnis. Dn. Ordinarius *Bergerus* praxin forensem docuit, & ego quoque eodem officio defunctus, maximo ardore frequenter, atque ad trituram præparavit se fori, cui avescendæ multum illi profuit nobilissimi & amplissimi viri *D. Chriſtiani Hartmanni Ledereri*, Advocati longo usu exercitatissimi cura & opera, cui domesticus quotidie adhaesit. Stitit jam sese anno III. hujus seculi Ordini nostro, ut judicium de profectibus ejus ferret, atque id consécutus est, ut digorum pronunciareret, qui in lucem fori prodiret, ac postulandi impetraret facultatem. Quam cum obtinuisse, non deseruit plane theoretica studia, verum inter negotia forensia, quibus in civinis Nobilium prædiis, ut judex quoque, præfuit, cathedram ascendit, atque tum sub moderamine celeberrimi *D. Bergeri de Uſu Aelionum poenaliū*, tum sub nostro præsidio de *Fœdū impropriis* anno superiore verba fecit, ac rem suam recte, ac ordine egit. Sæpius etiam inter illos ipsum vidimus, qui aliorum sententias docta concertatione in subsellii publicis oppugnarunt. Paucos ante menses petiti a nobis, ut nomen liceat inter Candidatos nostros profiteri. Non putavimus repellendum esse hominem, atque conaribus ejus honestis obicem ponendum. Bis jam scrutinia lvetu sustinuit, & talem se præbuit, cui facultas danda est, ut in publicum prodeat, & omnibus vires ingenii ostendat, ac exponat. Faciet vero hoc proxima die Jovis, quo me præside dissertationem in auguralem a se conscriptam *de beneficio competentiae civitatibus non competente* solenni tuebitur ritu. Quam panegyrin, ut Magnis. Dn. Pro-Rector, Patres etiam ac Cives Academiæ nostræ, & alii, qui nobis bene cupiunt, honorifica sua, & gratissima nobis præsentia cohonestare velint, omni observantia, cultu & studio rogo, ac precor. Quod superest Deo immortali gratias ago, habeoque, quod hoc ancipiunt patriæ statu, his rebus, quæ ad exornanda studia pertinent, liceat operam dare; finioque voto, & suspirio: *Da pacem Domine in diebus nostris!* P. P. Wittebergæ apud Saxones. Dom. XX. post Trinit. M DCC VI.

❧ ( o ) ❧

Köttenberg, Diss.) 1706(1)




Vol 18





B.I.G.



ORDINIS JVRIDICI  
WITTENBERGENSIS  
DECANVS  
CASPAR HENR.  
HORNIUS,

JC. ET ANTECESSOR, ELECT. CVRIÆ, CON-  
SISTORII ECCLES. ET SCAB. NEC NON  
JVDICII PROVINC. IN LVSATIA INFERIORI  
ASSESSOR,

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.

*de tempore praefcriptionis in causis civi-  
tatum secundum constitutionem Justiniani*

23.